

20. 333

Folletto - C. 2. 12





THESES PHILOSOPHIAE

ASSERENDAE

A D. IOA. PETRO MARTINEZ REMACHA,

ALUMNO TOGATO COLLEGII SEMINARII

ORCELITANI

PRAESIDE

D. D. IOSEPH IOVER, ET RICO,

PRESBYTERO, IN EODEM COLLEGIO PHILOSOPHIAE

PROFESSORE.

*Locus certaminis Orcelitanum Templum SS. VV. Iustae,
& Ruffinae, Seminarii Palaestra.*



MURCIAE

In Typographia VIDVAE PHILIPPI TERUEL : Via Lintearia.

THESES PHILOSOPHICAE

ASSERENDAE

A. D. IOH. PETRO MARTINEZ REMACIA,

ALUMNO TOGATO COLLEGII SEMINARI

ORCELLIANI

PRÆSIDII

D. D. JOSEPHI TOVAR, ET RICO,

PRESBYTERO, IN EODRM COLLEGIO PHILOSOPHICAE

PROFESSORE

Locum certaminis Orcebitanum Templum 22. IV. Iustas
& Ruffinas, Seminarii Palacii



MURCIAE

In Typographia VIDVAE PHILIPPI TERUEL: Via Lincaria.

ILL.^{MO} DOMINO.

D. F. ANSELMO RODRIGUEZ,

ALMERIENSI PRAESULI,

THEOLOGO A CONSILIIS REGII COETUS IMMACULATAE

CONCEPTIONIS &c. &c. &c.

IOAN. PETRUS MARTINEZ REMACHA

P. O. P.

ADvenit tandem, *ILLme. ANTISTES*, optatissimum tempus, quo trium annorum diligenti exercitatione Philosophica quid diu, noctuque meditando, fuerim assequutus, qualemve fructum inde tulerim, publico adsererem testimonio. Ut res equidem honoris, gloriae plena, ita aleae discriminibus iactata hac potissimum nostra aetate, qua philosophandi prurigo ita Philosophos perculit, ut in diversa studia traxerit. Nosti tempora illa, cum Pythagorei suae Philosophiae rationem designato Magistro reddebant. Longius protracta Schola Aristotelis, captivata mente in huius obsequium, ab eo vel transversum unguem recedere, Religio erat. Subsequentis temporibus, excuso veteri philosophandi iugo, prout unusquisque est affectus, iudicans,

cans, alius sic, alius autem sic opinatur: Hinc quemadmodum omnium placitis acquiescere nefas, ita omnibus placere difficile, arduum, impossibile. Ridebit hic, subsannabit ille, carpent invidus, discerpet malevolus; pauci ducimus. TUO favore, gratia, nomine, auctoritate, TU proteges tenellam hanc, enascentemque nunc arbusculam. Ita fore praesagivit animus, ILLme. DOMINE, nam vix TIBI nuntiato consilio, quod iam pridem tacitus evolvebam, tanta suscepisti humanitate, quanta & Familiae TUAE splendori Auriae, totique Gallaciae notissimo, & Personae, quam geris, maxime convenit; etenim oportet Episcopum benignum esse. Atqui mirum in modum erexit, animumque recreavit amor ille TUUS in litteras, queis summo ardore incubuisti, parique laude aliorum animos TIBI demandata cura formasti. Testem damus omni exceptione maiorem totam, qua late patet, Benedictinorum Familiam, quam luminis tui radiis ita perfudisti, & collustrasti, aut naturae abdita pandens, aut gratiae mysteria reserans, ut TE ad maiora natum, dimissa Cathedra, in supremum sui regimen eadem compelleret; longe uberiores se reportaturam fructus, confidens. At vero nedum Claustra optima de TE concepta opinio pervasit; ad solium usque Regium pervagata, diffusa; Principi etiam nostro nuntiatum admirabile illud eruditionis talentum Attico superius, & Babylonico, quo TE natura ditavit. Hinc ad Regiam Hispaniae vocatus, Theologus iussus fuisti assidere in Coetu illo, quem ad tuendum, enodandumque Conceptionis a primo instanti Immaculatae Mysterium potentissimus Princeps erexit. Ceterum TIBI usque dum angusti cancelli, Deo ad superiora vocante, Spiritus Sanctus TE posuit Episcopum regere Ecclesiam Dei, sobrium, ornatum, pudicum, hospitalem, filios habentem subditos cum omni castitate. TIBI ergo ILLme. PRAESUL gratias immortales, quod primum mei laboris litterarii fructum suscipere, & amplecti dignatus es. Vale, dum TIBI ampliora moliri non dexisteres, a Deo O. M. precamur, ut qui Apostolicam habuisti, aeternam sedem accipias. E nostro Collegio-Seminario Kalendis Junii anni 1782.



Quoniam rectus in Disciplinis tradendis ordo postulat, ut ab universalioribus incipiatur, quaedam delibare iuvat circa naturam, originem, utilitatem, divisionemque Philosophiae, quae nostrae disputationis materies subiecta est.

T. P.

1 **S**apientia est, aiebat Cicero I. de Leg., a cuius amore, graeco verbo, Philosophia nomen accepit.

2 Re, vocabulo subiecta, considerata, est Philosophia, rerum Divinarum, & humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia.

3 Huius origo antiquissima sanè, a supremo namque Conditorum infusam habuerunt primi Parentes, quos disciplina intellectus replevit Dominus. Creavit illis scientiam spiritus, Eccl. 17. sensu implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit illis.

4 Hinc ancipiti fortuna ad nos usque traductam, licèt imperfectè, in nobis tamen existere Philosophiam, ubique terrarum structae Academiae, adolescentum certatim confluxus, irrequietum discendi studium, veritas tandem multoties inventa, etiam stolidum fateri compellent.

5 Peccant vero quam maximè, qui parentem Graeciam Philosophiae assignant. Deorum certè illa inventum, coelesteque munus. Non tamen negaverim, post universale diluvium, quo tempore ferè iacebat, Graecis Philosophis manum porrigentibus, caput extulisse.

6 Verum inter ipsas Medicorum manus aegrotare coepit. Namque libertate philosophandi immodica effectum est, ut quae una, indivisaque Philosophia, in tot dispersita sectas, conspiceretur, quot Philosophi nomine gloriabantur. Hinc Italici, Ionici, Sceptici, Academici, Peripatetici, cet. prodire; at de iis in Palaestra.

7 Nec feliciter labentibus saeculis res philosophicae agitatae. Etenim abdicata veteri philosophandi ratione Aristotelis, novandi cacoethè tacti quamplurimi, quo tempore de reducta libertate plus aequo sibi gratulabantur, vincas dedere manus, in verba hominum iurantes. Hic turbantes, ille monades, alius attractionem, vires centrales: verbo, fabulam

A

threa-

II

theatralem (*) ad ravim usque tumentur, pro semel combibita opinione tamquam pro aris, & focis decertantes. Ni Cartesii, Leibnitii, Wolfii, Neutoni nomina, laus ubique crepent, non est vera Philosophia. ; O tempora ! O mores !

8 Nobis vero, quoniam in lubrica studiorum semita seligendus dux, qui vestigia nostra, ne labamur, firmet, Aristotelis Philosophiam ab Angelico nostro Magistro D. Thoma Aquinate reformatam, ab erroribus purgatam, placuit amplecti. Ultra quod huic systemati primas damus, Illmi. N. Antistitis aequi rerum aestimatoris consulto res est universa peracta. Ordinis nostri adolescentibus, quos in hoc Collegio - Seminario sacrae scientiae studium occupat, prae ceteris utilem probamus hanc philosophandi rationem.

9 Probris, sibilis nos heic excipiunt recentiores, de libertate philosophandi nobis adempta queruntur; parcius ista: Libertas philosophandi, ut eam definit Wolfius, est potestas standi suo, non aliorum iudicio, sive ut 4. Academicar. aiebat Cicero, integra iudicandi potestas: Miserum servitutis genus dicimus illud, quo quis propter sectae amorem obstringitur ad pertinaciter tuendas ipsius sententias, seu verae sint, seu falsae: hoc Philosopho indignum prorsus.

10 Quando de veritate constat, ubicumque reperiatur, amplectenda: Amicus quidem Socrates, inquiebat Plato, sed magis amica veritas, (**) ubi vero liquido ea non conspicitur, solliciti inquirimus, systematis Peripatetici innixi principiis, ipsius rationes, & fundamenta iudicio nostro prius comprobantes: Libertate philosophandi utimur, non abutimur.

11 In tradenda Philosophia hunc ordinem servari iuvat, ut 1. Logica, 2. Mathematicae purae, 3. Physica, & Physico-Mathematica, 4. Ethica, 5. Metaphysica tradantur.

12 Harum Philosophiae partium non una, eademque est certitudo, nam quae reperitur in Mathematicis, minimè quaerenda est in aliis Philosophiae partibus.

L O G I C A.

13 **A** verbo graeco logos Logica nuncupata, est facultas, qua in vero cognoscendo mens humana dirigitur.

14 Est ea naturalis, si verum attingat per lumen illud, quod super nos

(*) Ita censura Philosophiae Neutoniana, quae extat in Actis Lipsi. a. 1729. ubi dicitur, eam magis speculationibus Geometricis, quam exactis ratiociniis esse referatam, omnemque linearum, & angulorum, virium insitarum, & centralium apparatus in Physica Neutoni non esse nisi fabulam theatralem, nullam vero extra cerebrum habere realitatem.

(**) Hoc sensu Strom. I. dixit Clemens Alex. Philosophiam dico non Stoicam, non Platoniam, & Aristotelicam, sed quaecumque ab istis sectis rectè dicta sunt, quae docent iustitiam cum pia scientia, hoc totum selectum Philosophiam dico.

III

nos signatum Propheta cecinit. Artificialis vero, si in verum inveniendum dirigatur quarumdam regularum praesidio, quibus mens nostra duci opus habet in salebrosa admodum, & implexa studiorum semita.

15 Operationes mentis, quas Logica suis regulis perficit, sunt apprehensio, iudicium, & discursus, nam methodus ad has reducitur.

De Apprehensione.

16 Actus ille mentis rem sibi primo obiectam percipientis absque affirmatione, aut negatione, apprehensio nuncupatur.

17 Ni ope subsequentis iudicii, prima rerum apprehensio, sive perceptio vera, vel falsa esse nequit.

18 Quidquid Cartesius, eiusque fidissimus Malebranchius sentiant, nobis arridet, perceptionem veram esse mentis actionem, minimè vero passionem.

19 Perceptiones nostras terminis exprimere consuevimus. Est autem terminus, signum rei simplici apprehensione perceptae.

20 Termini divisiones, proprietates, harumque regulas, magni certè in re syllogistica usus, ex nostratum placito dabimus.

21 Cura magna in terminorum recta perceptione adhibenda: diminutio, obscuritas, confusio ne irrepant, attentione, definitione, divisione cavendum.

22 Ad conciliandam attentionem regulas, perquam utiles, praescribemus.

23 Definitio, & divisio ad modos sciendi spectant: est vero modus sciendi, oratio ignoti manifestativa.

24 Termini significatio interdum nobis est ignota, res per terminum designata multoties nos latet: huic obscuritati optima medela definitio, cuius ope aut proprium termini significatum, aut naturam rei, per terminum designatae, explicamus. De huius divisione, & canonibus in pugna.

25 Divisione utendum, cum termini significatum pleraque continet involuta, quorum singula uno intuitu distinctè percipi nequeunt. Quid sit, quotuplex, quae ipsius leges, interroga.

26 Cum mens rem sibi obiectam intra se considerat, ipsius ideam efformat. Est idea rei obiectae similitudo.

27 De idearum a perceptionibus distinctione acris quondam exitit contentio inter Malebranchium, & Arnaldum, contra quem sentimus, aliud esse ideam, aliud vero perceptionem.

28 Omnis idea a sensibus originem trahens, adventitia vocatur, ex adventitiarum varia combinatione, factitiam mens sibi efformat.

29 Hinc sensus & meditatio cognitionis nostrae prima scaturigo, & veluti geminus fons.

30 Ridiculum prorsus, ne quid peius dicam, quod de idearum origine sensit Plato, omnem ideam innatam ponens.

A

IV

31 A quo nec hilum discrepat Cartesius , si per ideas innatas facultatem intelligat cogitandi.

32 Si autem idea innata designet rei notionem facile comparatam, non abnuimus ; si vero impressionem quandam menti a Deo in creatione communicatam , nullam iudicamus.

33 Nemo absurdius Malebranchio de idearum origine disseruit. Divinam essentiam rerum omnium esse intelligibilem ideam censuit eximius coeteroquin philosophus. Omnem ideam creatam relegare iussit.

34 Ratione obiecti , quod repraesentat , & modi partitur idea in simplicem , compositam , in claram , distinctam , cet. ast de his in circo.

35 Celebrior est idearum divisio in particulares , quae unam rem, & universales , quae rem pluribus communem repraesentant.

36 Idea universalis non mentis conceptum , sed naturam a particularibus abstractam , & illis communem denotat. Hinc duplex universale : Logicum nempe , & Methaphysicum ; genesim utriusque nostrum est adperire.

37 Genus , Species , Differentia , Proprium , & Accidens sunt totidem ideae, verè , & reapse naturam universalem dividentes.

38 Genus est natura quaedam universalis , multis specie differentiibus apta inesse ; de specie dicitur non ut pars , sed ut totum eam complectens.

39 Differentia , quae rationem induit universalem per respectum ad inferiora speciei , de illis in quale quid , ut loqui amant , praedicatur.

40 In substantiis , tum spiritualibus , tum materialibus , & accidentibus unde genus , & differentia sumantur , aperiemus.

41 Ex genere , natura potenciali , & perfectibili , & differentia illud contrahente , & perficiente consurgit species , quae de pluribus numero differentiibus , totam essentiam exprimens , enuntiatur.

42 Inferior genere , & superior individuis est species ; hinc, non inde universalis evadit.

43 De proprio , & accidente , quae fusiùs disputant Scholastici, contractiùs dabimus , ipsorum naturam , & munia enucleantes, De individuo , data opportunitate disseremus.

44 Huc spectare videntur ideae ante-praedicamentorum ; quinque numerantur , totidem assignabimus.

45 Post haec , examinandae ideae categoriarum , hoc est elementorum quorundam , circa quae versari videtur omnis quaestio , ut aiebat Quintilianus lib. 3. c. 7.

46 Numerabant Pithagorei viginti , Recentiores alii septem , alii sex, Aristoteles decem , videlicet Substantiam , Quantitatem , Relationem, Qualitatem , Actionem , Passionem , Quando , Ubi , Situm , & Habitum.

47 Re intellecta , cui debetur sistere in se , ideam comparamus substantiae , huic veluti cuidam fulcro innituntur accidentia ; ille est pri-

ma-

marius substantiae conceptus. Enumeratis sex eiusdem proprietatibus , cathedram exponemus.

48 In extensione partium substantiae ideam quantitatis collocamus: quatuor proprietates reales , tres logicales referemus.

49 Relatio in puro respectu consistit ; esse aliquid reale fides , & ratio suadent ; varias subit divisiones ; quinque obtinet proprietates : sciscitare.

50 Qualitas est , inquit Aristoteles , qua quales esse dicimur ; fiat lux , plerique clamitant , & facta est orto Sole Scholarum , quo prae-eunte , ideam qualitatis , reliquarumque cathedrarum in bona luce collocabimus.

51 Illius imaginis , prototypum fideliter referentis , notionem aliis tradere , societas humana exposcebat ; hinc oportuit conceptus mentis signis quibusdam alligare , & veluti quoddam inire idearum commercium: haecine necessitas voces invenit. Pulchrum sanè inventum !

52 Est vox , sonus hominis ore per instrumenta naturalia prolatus , interiorem mentis conceptum exprimens primario , rem ipsam secundo.

53 Etsi homini naturale vocibus conceptus exprimere , his tamen prae aliis uti , non a natura , sed ex hominum arbitrio pependit.

54 Prima vocum impositio facta fuit ab Adamo , qui nominibus suis cuncta animantia , & universa volatilia coeli , & omnes bestias terrae appellavit : sicque nullo umquam tempore extiterunt homines absque articulati sermonis usu.

55 Acceptio vocabuli in ea significatione , quam communiter homines intendunt , recta est , & usurpanda.

56 Si nedum mentis conceptus , verum & res conceptas vocabula exprimant , perfecte , secus imperfecte significant ; ad tollendam aequivocationem , magnam certe in vocabulis imperfectionem , nominis definitio peropportunum remedium.

57 Vox fluxa , & in molli aëre exarata perennare diu , neque ad posteros transmitti valet ; homini opus interdum ad absentes loqui : hinc necessitas scripturae , quae primò vocis , tum perceptionis , tandem rei ideam nobis ingerit. De multiplici apud Gentes scribendi ratione in arena.

De Iudicio.

58 Rerum ideas invicem mens comparans , vel nexum aliquem inter eas percipit , aut repugnantiam ; actus , quo id fit , Iudicium nuncupatur.

59 Nemini , quod sciamus , ante Cartesium placuit Iudicii actum voluntati proprium assignare ; placitum displicet : non tamen diffitemur , ex voluntatis applicatione elici ab intellectu Iudicium.

60 Cum intellectus convenientiam unius rei cum alia advertit , propositionem efformat ; est propositio , oratio enuntiativa unius de alio.

61 Huius divisiones , proprietates , regulas pro contradictoriis assignabimus.

62 Proh Deus ! Quot , quibusque defectibus iudicia nostra maculari , infici contingit , namque à sensibus , voluntate , intellectu , corpore , Magistris , Populo &c. ita variis imbuimur erroribus , ut vanitati veritas , aiebat Tullius 3. Tus. & opinioni confirmatae natura ipsa cedat : Explicatis errorum fontibus sex regulas , ad rectum , & incorruptum propositionum Iudicium observandas , proponemus.

63 E multiplici errandi occasione , undecumque menti nostrae circumfusa , insuperabilibus septem tenebris veritatem , eamque è Democriti puteo educendi nullam nobis superesse fiduciam Academici , Sceptici , alii huius farinae repraesentarunt ; nos vero cordatius sentientes de vero obtinendo nusquam desperabimus.

64 Cartesium , cui suis cogitationibus placuit illustrare lubricam admodum , & implexam semitam , quae inoffenso calce nos ad veritatem duceret , alia dementia cepit ; nimirum dixit , ad veritatem capessendam nihil expeditius magis , quam generalem de rebus omnibus induere dubitationem ; at nostra opinione nihil alienum magis : Dubitationem tamen prudentem non aspernamur.

65 Tum se demum dubitando veritatem reperisse gloriatur Cartesius , cum claram rei notionem de re ipsa dubitans hauserit , hinc regula illa , Cartesianorum deliciae. Quidquid in idea clara &c. Verum sensu Cartesiano haec regula undique claudicat.

De Veritatis Criterio.

66 Ergo ne nobis interclusa via veritati adipiscendae , ubi prima luce non affulget ? Minime gentium. Diligenti examine constituto , veritas nobis obviam ibit. Regula veri , & falsi , seu veritatis criterio tamquam Lesbia norma nobis utendum ad rectum examen instituendum circa Fidei mysteria , res tum sensibiles , tum intelligibiles , tum & eas , quae auctoritate nituntur humana.

67 Ratione humana mysteria Fidei metiri nefas ; in his legitimum criterium esse nequit : intelligite Haeretici : Fieri tamen haud valet , aliquid esse philosophice verum , & theologice falsum.

68 Circa res sensibiles sensus absolute , & indiscriminatim constitui non oportet veritatis criterium ; ubi tamen sunt recte dispositi , adestque ipsorum evidentia , ministerialiter inserviunt menti , ut veritas attingatur.

69 Pro veritatibus intelligibilibus criterium esto evidentia illa , qua nobis patent propositiones per se notae , in quibus ex sola apprehensione terminorum cognoscitur , attributum contineri in subiecto.

70 Si tamen criterium rebus omnibus accomodatum assignare cuperemus , tres modi sciendi , nempe Definitio , Divisio , & Argumentatio veri inveniendi certa nota , seu veritatis criterium optimum.

Quid

71 Quid tamen auctoritas humana valet ? In Dogmatibus nihil, multum in historicis, plurimum in illis, quae ab ea unice pendent.

De Arte Critica.

72 A verbo graeco crisis critice derivata, est ea facultas, quae de factis historiam constituentibus, de operibus ingenio partis, de eorum variis lectionibus, de sensu, stilo, & auctoribus iudicium fert; huius definitionis singula perlustrabimus.

73 Ad Logicam referenda critices, qua ratione regulas praestat, quibus recte iudicamus de factis, & scriptis: vetustissimam illius artis originem, & exercitationem, criticosque praestantes, quos aetas quaelibet tulit, nostrum erit reserare.

74 Novo accepto lumine post Constantinopolis graecarum urbium principis eversionem, typorumque usum detectum, Reipublicae, & Ecclesiae magni commodi, utilitatisque ars critica, dummodo temperate usurpetur, & iuxta cautiones, quas ex Cl. Mabillonio p. 2. de St. Mon. cap. 13. referemus.

75 Duplici via auctoritate nimirum, & coniectura graditur critices ad antiquitatis opera evolvenda. Bivium ad corrigendum libri, & coniectura, aiebat Iustus Lipsius: Prima altera tutior.

76 Vel Dei vel hominum est auctoritas; illa constat, quoties Deus nobis loquendo se manifestat; quantum ipsius valeat auctoritas, dicam in pugna.

77 Res, quas homo narrat, duplicis sunt generis, aut facti historici, aut dogmatici, eò hoc validius, quo potiori innitatur fulcro; in historico vero cum primis tria sunt consideranda, qualitas testis, res narrata, modus narrandi; cuilibet suas assignabimus regulas ex Aloisii Verneii lib. 5. de re logica.

78 Librarii, Critici, Impostores, & tempus quantum, Aedepol, corruptionis in superioris aevi opera invexere; discernere sincera a sublestae fidei scriptis, corrupta emendare, interpolata pristino nitore reddere, nostra erit cura, cursim enumerando regulas, de quibus multa nimis Io. Clericus in sua Art. Critica.

79 Argumentum, quod negativum vocant, stilique diversitas coniecturae sunt veluti quaedam species; quid sit, & quotuplex illud argumentum, quibus cautionibus tractandum; quid vero, & in quibus dictionis valeat diversitas, ex Mabillonio, hausimus, & Dupino, placebit referre.

De Discursu.

80 Discursus, tertia mentis operatio, est actus ille, quo ex uno, aut pluribus Iudiciis iam notis, aliud ignotum, cum iis connexum inferimus; oratio, qua id fit, dicitur Argumentatio. Huius species, Exemplum, Inductio, Syllogismus.

Syllo-

VIII

81 Syllogismi naturam , divisionem , figuras , modos , & regulas, locos etiam , quos vocant , topicos , cui placeat , & patienter sustineat, referemus.

82 Si ex propositionibus evidenter veris alia cum his connexa eruantur , id fiet ope Syllogismi demonstrativi ; vi cuius posito praemissarum assensu , ita cogitur intellectus ad assentiendum conclusioni , ut refragari nequeat.

83 Ope huius Syllogismi comparamus scientiam , cuius actui , aut habitui , é diametro oppositi , & respectu eiusdem intellectus incompossibiles actus , aut habitus fidei , vel opinionis sunt.

De Methodo.

84 Methodus , graeca vox , Latio reddita , via brevis , & expedita ; est ordinatus modus procedendi in cognitione veritatis.

85 Duplex est , synthetica , & analytica ; utriusque rationes assignabimus ; tum canones Methodi in genere , & specie ex Goudino dabimus.

86 In scientiis capiendis synthesisi est utendum quantum ad veritates inferendas , analysi autem quantum ad principia.

87 Mathematica Methodus , hac nostra aetate nedum in Philosophia, verum in Iurisprudencia , & Theologia adhiberi solita , in omnibus scientiis perfecta , & absoluta usurpari nequit : sicubi tamen in scientiis naturalibus ea utendum , magno opus est iudicio. (*)

88 In tradendis disciplinis , prae Socratica , & familiari , utpote aptior, Methodus scholastica retinenda ; nemini non notum quantum in eam Lutherus , & Calvinus debacchati fuerint : & quod imis visceribus dolendum, hoc nostro saeculo plerisque derisui habita ; vae illis !

89 Mabillonius scriptis , nos voce disciplinas tradere , utilius commendamus.

90 Quod ad Methodum attinet addiscendi , nec absque praeceptore scientias adire , expedit ; neque domi potius , quam Scholis erudiri , praestat. De regulis ad discendum peropportunitatis sciscitator.

91 De Methodo impugnandi , & respondendi acturi , disputationes utilissime institui arbitramur. Disputatio ex D. Thom. est actus syllogisticus unius ad alium , ad propositum ostendendum. De Methodo libros conscriben-

(*) Heic subnectere placuit Danielis Concinae de Wolfiana methodo iudicium, non minus verum , quam appositum. Illa , inquit Diss. de Iure nat. & gen. lectores suos , ut rotam , in girum perpetuum circumagit. Ut probet propositionem trigessimam, modo te remittit ad decimam, modo ad quinquagesimam. Illuc cum pergis, continuo aliam citationem offendis , quae te mittit ad Philosophiam moralem. Arripis iter, & illuc cum perveneris, quasi laetus de invento demonstrationis arcano, en tibi obviam alia citatio , quae te remittit ad Logicam , & haec quoque te in girum agit ad Psychologiam , & haec te circumagit ad Cosmologiam , hinc revocaris ad Theologiam naturalem. En in hoc vitioso , atque perridiculo citationum circuitu occupatos lectores , temporisque iacturam gravissimam factam.

bendi, & quo idiomate; necnon de regulis in librorum interpretatione servandis, sive arte hermeneutica; in pugna.

92 Perlustratis his, quae ad mentis operationes spectant, de Logica illarum directrice sentiendum, esse vere, & proprie scientiam, cuius obiectum materiale, res omnes cognitae, formale vero ens rationis, sive artificiosa illa dispositio subiecti, praedicati, caet. rebus cognitis superinducta.

93 Ante scientias reliquas Logicae incumbendum; ab hac quantum ad formam syllogisticam caussantur demonstrationes aliarum scientiarum; secus vero quantum ad cognitionem materiae, aut assensum conclusioni.

PHYSICA GENERALIS.

1 **A** Verbo graeco Physis Physica dicta, idem, ac naturalis latinè sonat.

2 Naturale vero est, quod in se habet principium, & causam motus, & quietis, primo, & per se, & non secundum accidens.

3 Naturae, a qua naturale, ratio, materiae, formae, composito, etiam animae rationali, secus Deo, & Angelis propria.

4 Violentum naturali opponitur, quia & ab extrinseco est, & illius inclinationi repugnans.

5 Violentiam inferre creatura, & Deus valent; dummodo hic, ut particulare agens operetur.

6 Artificiale est, cujus principium est extra in ratione practica, materiam externam dirigente.

7 Etsi ars, simia naturae, hanc in plerisque imitetur; in aliis tamen ab ea deficit; naturae quaedam attingit ars, Chrysopoeiae, & Palingenesiae opera huic impossibilia.

8 Mirum in modum aevo nostro naturalis scientia furnis, alembicis, experimentis, observationibus aucta, ditata, quamplurimi naturae effectus vel detecti, vel animadversi; sed tamen de horum vera, & genuina causa inter recentes Philosophos acrior, quam inter antiquos lis.

9 Utiliter tamen, ore pleno fatemur, tentari experimenta, quibus, & rationi Physica nitatur.

10 Initio l. 3. prin. Isaccus Newtonus tres statuit philosophandi regulas pro rebus naturalibus; coeterum ni Attici cera miniata signentur, nec verae, nec Philosophiae accomodatae.

11 Physica, quae corpus mobile contemplatur, aut generalis est, si attributa corporibus communia examinet, aut particularis, si cuilibet corpori propria rimetur.

De corporum essentia, & existentia.

12 Corpora revera existere Georgius Berkeleyus, Malebranchius,

chius , Fran. Lamius negarunt ; intimo , & extimo sensui error iste repugnat.

13 Essentia corporis physici Muschembrockio , & Lockio ignota , a Cartesio in trina dimensione reposita , a Gassendo in impenetrabilitate ; nobis vero arrisit , eam reponere in ratione substantiae , aptae ad recipiendam trinam dimensionem.

14 Prima principia definivit Aristoteles , quae nec ex se invicem , nec ex aliis , sed ex quibus omnia fierent. In illis determinandis nunc , & per omne saeculum a philosophis plurima inventa , conficta , mutata , addita ; nec ubinam tuto pes figendus , hucusque inventum.

15 Anaximandri , Thaletis , Melissi , Epicuri , Platonis ex antiquis ; Gassendi , Cartesii , Leibnitii , Wolfi , aliorumque ex Recentioribus displicet circa naturam principiorum opinio ; unum , aut infinitum , aut quatuor vulgaria elementa , aut quinque Chemicorum vera esse principia diffitemur.

16 Primordia rerum in materia prima , & forma substantiali reponenda esse iudicamus cum Ss. Thoma , & Augustino ; hic canticum laudis , & honorem Deo se tribuere , ait , conf. 12. pro sibi detecto eo systemate , quod recenti , memoria insulsum , ineptum , fanaticum , tamquam omni ratione destitutum traducitur. Coeci

17 E duobus illis principiis coalescit corpus , huius iam constituti materia , & forma partes essentielles ; materiae praeterea adiungitur privatio , quando illud fieri intelligitur.

De corporum attributis.

18 Constituto essentialiter corpore , prima eius proprietas examinanda , est quantitas , sive extensio ; haec ita illud afficit , ut sine illa , saltem connotata corpus nequeat existere.

19 Extensionem sequitur divisibilitas , quae usque in particulas mirae exilitatis procedit physice , in infinitum vero mathematice. Hinc continuum non e solis indivisibilibus , sed ex his , & partibus coagmentatur.

20 Impenetrabilitas est ea corporum affectio , quae cum omnibus insit , corpus expellit a loco , iam per aliud possesso. Divina virtus , cui tantum est penetratio corporum possibilis , inducere nequit eiusdem corporis multiplicationem ad diversa loca capessenda.

21 Ratione extensionis inest corporibus mensurabilitas penes longitudinem , latitudinem , & profunditatem , hinc Longimetria , Planimetria , Sterometria partes Geometriae , cuius quaecumque problemata , ac theoremata resolvit , ac demonstrat Christianus Wolffius in suo Matheseos compendio , dabimus.

22 De figurabilitate ultimo loco agendum. Est figura qua corpus terminatur ; cuilibet inest determinata extensionis meta , huiusmodi terminos , maximum quod sic , & minimum quod sic Philosophis placuit,

cuit , appellare ; figura corporum inaequalis , minutarum particularum
queis minores natura non patitur aequalis.

De spatio , loco , vacuo , & tempore.

23 Corporibus omnibus ratione quantitatis convenit esse in loco , spa-
tiumque aliquod occupare. De utroque nobis sermo. Spatium , quod
Clarkio , Scarellae , aliis ipsa Dei immensitas est , Newtono q. 28. op.
visum fuit esse sensorium Dei : Verba impia ! Blasphema !

24 Huic simillima opinio Orlandii , spatium dicentis sempiternum,
non factum a Deo , & corporibus distinctum.

25 Prima substantia inter extensas a Deo creata , & illimitata est
spatium , iuxta P. de Turre error novissimus.

26 Peior priore est ille , quo Gassendus posuit spatium quid esse
incorporeum.

27 Ne singula Philosophorum absurda placita percurramus , dis-
plicet circa naturam spatii omnis opinio , iuxta quam illud non sit mera
capacitas corporum recipiendorum ; proindeque nihil reale in se ipso.

28 Si vero spatium accipiatur pro dimensionibus corporum , quae
alia continere valent , quid est reale ; sed tamen a loco distinctum.

29 Loci optima definitio. Superficies prima immobilis corporis am-
bientis. Explicabitur , & tuebitur.

30 Locus nullo corpore occupatus vacuum nominatur ; hoc duplex:
coacervatum , & disseminatum.

31 Virtutem , quam in Deo non agnovit Cartesius ad vacuum in-
ducendum , nos admittimus , hanc tamen Angelo , & homini dene-
gamus.

32 Non metaphorica semper loquendi illa ratione , horrore , scili-
cet , vacui coacti , sed validissimis nixi momentis a Divo Thoma , Leib-
nitio , Artsoeckero , aliisque primi subsellii Philosophis mutuatis , si-
ve magnum , sive parvum vacuum nullius in Physicis utilitatis asserimus.

33 Corpora , quae in suo esse permanent , dicuntur durare , unde
duratio est permanentia rei in esse ; a re durante distinguitur duratio.
Est triplex aeternitas , aevum , & tempus.

34 Tempus est numerus , seu mensura motus secundum prius , &
posterius. Heic ut alibi carpimur a recentioribus , verum nihil melius af-
ferre poterunt ad explicandam humanae menti fere imperviam rem.

35 Tempus est de genere entium , quorum essentia in continuo fluxu
consistit ; indivisibilia , & partes tempus constituunt.

36 Nihil est temporis , ait Aris. 5. Physic. nisi nunc , quod est
indivisibile ; in nunc successive labenti praesentia temporis salvatur.

37 Eius essentia non in sola mentis operatione reponenda , ut Lock.
Musck. aliis placuit , sed in aliquo reali , quod per mentis numeratio-
nem compleatur.

38 Quae res sunt permanentes , incipiunt per primum esse , sive
in-

intrinsece , desinunt vero per primum non esse , seu extrinsece : Quae autem sunt succesivae , incipiunt per ultimum sui non esse , aut extrinsece , & etiam extrinsece desinunt.

De viribus corporum.

39 Quid vis nomine designatur ? inquiet Cl. Iacquier p. 1. Phy. sec. 1. virium nomine nihil aliud intelligi , nisi effectum aliquem dato aliquo tempore productum. Displicet

40 Opinione nostra virium nomine denotatur principium illud agendi proximum , quo corpora donantur , re ipsa distinctum , & a radicali agendi primo fonte , forma , scilicet , substantiali , & ab actione , & motu ; his habeto virium partitionem.

41 Aliam induxit Leibnitius in mortuas , & vivas : inadaequatam censemus.

42 Vires mortuas aestimari voluit idem in ratione ponderis , & velocitatis ; implicat.

43 Bernoullius , Gravessandus , alii Leibnitium sequuti , vires vivas aestimandas fore posuerunt in ratione ponderis , & quadrati velocitatis ; recedimus , quoniam unice ex simplici velocitate aestimari debent.

44 Corporum vires praeterea vel sunt conspirantes , vel oppositae , vel mediae ; quomodo unaquaeque aestimanda , nos audi.

De vi attractionis.

45 Vocem attractionis generaliter usurpat Newtonus pro corporum conatu invicem accedendi , cuius causa ipsum latet. Nae illa qualitas occulta. Ita Leibnitius adversus Clarck. (*)

46 Ad magnas , & ad minimas distantias iuxta Newtonianos exercetur sua attractio ; coeterum quolibet modo considerata fictitia est universalis haec naturae lex , pugnatque cum Newtoni regulis.

47 Species attractionis fere tot sunt , quot corpora , quae attrahuntur , centrales , superficiales , magneticae , electricae , caet. & sunt etiam attractiones , quae repente in repulsionem transformantur. O ! si fuisset haec metamorphosis Ovidio agnita!

At-

(*) D. Pluche in lib. cui titulus Histoire du Ciel §. X. Jugemens sur le Physique du Newton , haec e Gallico sermone traducta hab. Reieimus qualitates occultas Antiquorum , quamquam illae , perinde atque attractio , nihil aliud revera significant , quam effectum quemdam sensibilem , cuius causa ignorabatur ; & nihilominus in eandem quotidie recidimus obscuritatem , atque inutilitatem , cum tot inducimus attractiones speciei peculiaris , quot peculiares effectus videmus. Quodnam emolumentum in permutatione est ? Modus semper permanet loquendi fuse , & emphatice de eo , quod minime intelligitur. Utique initur calculus attractionum , & adhibetur Algebra. At quid olim vetabat , ne idem fieret de sphaera activitatis occultarum qualitatum ?

XIII

48 Attractionis leges innumerae , testem damus , & sponso- rem P. Iacquier ; in minimis distantiiis attractio est inverse in ratione plusquam duplicata distantiae , hoc est , triplicata , aut forsitan maiori ; monet tamen idem legem hanc , si accurate servetur , ducere ad absurdum. En quo pretio habenda.

49 Alia lex. Ad minimas distantias attractio est quam maxima , ad aliquam distantiam a gravitate terrestri superatur , ideo insensibilis amplius. Lex haec falsa in plerisque corporibus deprehenditur.

50 Lex altera attractionis universalis. Corpora omnia se attrahunt in ratione directa massarum , & duplicata inversa distantiarum. Ex eisdem Newtonianorum principiis falsitatis arguitur : merito Hartsoekerus , examinatis attractionis legibus , concludit , nullo niti fundamento , quae de mutua attractione dicuntur.

De viribus centralibus , & inertiae.

51 Vim duplicem centrifugam , & centripetam ad foelicius explicandos Planetarum ellipticos motus excogitarunt Newtoniani ; at neque revera existunt eiusmodi vires , nec eisdem admissis , quidquam ad motus illos extricandos valerent.

52 Corporibus denegamus vim inertiae eo sensu intellectam , quo recentiores asserunt ipsa , si moventur , perpetuo moveri , & semper quietura , si quiescunt.

53 Si vero corpora ita constituta ponimus , ut ex se ipsis neque motum , neque quietem producere queant , hoc est , nec ad motum , nec ad quietem essentialiter esse determinata , hoc sensu corpora inertes substantias nominamus.

De vi gravitatis.

54 Vis ea , qua corpora deorsum feruntur , gravitas nuncupatur.

55 Huius vis originem in magnetismo Telluris reperisse visum fuit Gassendo ; sed commentitia opinio.

56 Ad vorticosum motum sui elementi confugit Cartesius , ut gravitatis fontem detegeret ; sed nec ibi reperitur.

57 Qualitatem occultam , quis crederet ? inquit P. Iacquier a. 2. p. 1. Phy. esse gravitatem ; principium intrinsecum plerique Newtonianorum , at licet nobiscum sentiant , dissident tamen , namque gravia moventur tamquam a principe causa sui motus , ab eo , qui eis communicavit esse , consequentesque proprietates.

58 Gravitas alia est absoluta , alia relativa ; nullum corpus cui nisus in centrum , leve , absolute reputamus , omnia absolute levia admittit Evangelista Torricellius.

59 Coelestia corpora neque gravia , neque levia iudicamus.

60 Experimentis captis in horologiorum pendulis varie oscillantibus pro climatum varietate iure , meritoque concludere sibi visi sunt recen-

XIV

tiores , gravitatem terrestrem non ubique sibi constantem esse ; Maupertuisius totum hoc discrimen exteriori causae tribuit , huic assentimur.

61 Leges gravitatis sunt hae. Gravia feruntur deorsum per lineam sensibilibiter perpendicularem.

62 Gravitas est materiae proportionalis.

63 Gravitas uniformiter accelerat corpora : verum haec lex eo sensu intellecta , ut tanto velocius corpora centrum petant , quanto ponderosiora sint ; falsa est.

64 Itaque gravia pondere , vel mole inaequalia in medio non resistente , aequè velociter ex eadem altitudine descendunt.

65 In medio resistente velocitas est resistentiae , & gravitati proportionalis : habita etiam ratione voluminis , figuraeque corporum.

De Statica.

66 De gravium corporum descensu agit Statica , huius ope phoenomena , & problemata , quae demonstrat , & resolvit Cl. Paulianus in suo Dictionario Physico verbo Statique exponemus , praemissis sequentibus axiomatibus.

67 Nullum corpus in Tellurem descendit , ni accepta vi quadam acceleratrice.

68 Corpus descendens percurrit dimidium illius spatii , quod percurreret , si initio habuisset eandem vim , quam in fine.

69 Quodcumque systema circa gravitatem eligatur haec consideranda est , ut corpori descendentis inhaerens , ad sequentia phoenomena demonstranda.

70 Acceleratio fit iuxta progressionem arithmeticam numerorum imparium. 1. 3. 5. 7. 9. 11. caet.

71 Spatium a corpore confectum in descensu accelerato , est ut quadratum temporis insumpti.

72 Gradus velocitatis acquisitae sunt in ratione directa temporum.

73 Gradus velocitatis sunt , ut radix quadrata spatii confecti.

74 In corpore labenti tempus est , ut radix quadrata spatii.

75 Problemata resolvenda. Dato spatio in primo instanti descensus confecto , determinare quod in alio instanti conficeretur.

76 Cognito spatio a corpore peragrato in primo instanti , invenire illud , quod in quinque aut sex aequalibus instantibus ab eodem corpore percurreretur.

77 Cognito velocitatis gradu in primo instanti acquisito , reperire quemlibet habeat in alio instanti.

78 Cognito respectu inter duo spatia ab eodem corpore confecta in descensu , determinare respectum , qui datur inter velocitates , quibus conficiuntur.

79 Dato spatio confecto a gravi descendentis , cognoscere tempus insumptum in descendendo.

De

De Velocitate.

80 Ea vis , qua corpus , dato tempore , aliquod spatium percurrit , velocitas nuncupatur ; haec relationem involvit inter corpus , & spatium.

81 Duo corpora , quae percurrunt eodem tempore inaequale spatium , habent velocitatem in ratione directa spatii confecti.

82 Duo corpora , quae conficiunt inaequalia spatia temporibus inaequalibus , habent velocitates ut spatia , divisa per tempus insumptum, in percurrento.

De motus natura.

83 Est motus , actus entis in potentia , prout in potentia.

84 Triplex est ad quantitatem , ad qualitatem , & ad ubi.

85 A termino , ad quem tendit , desumit motus unitatem genericam , & specificam ; numericam vero ab unitate subiecti , termini , & temporis.

86 Motus contrarietas a terminorum , ad quos dirigitur oppositione usurpatur.

87 Etsi mobile subiectum secundum idem contrariis motibus affici queat per accidens , minime tamen per se.

De motus quantitate , & continuatione.

88 Quantitas motus deffinienda est ex massa corporis quod movetur, & celeritate.

89 Corporis massa ex ipsius particulis consurgit ; haec est ponderi proportionalis : volumen corporis est eiusdem superficies , qua partes clauduntur.

90 Divisa per massam motus quantitate , quotus dabit celeritatem, per quam divisa eadem quantitas , quotus dabit massam.

91 Posuit Cartesius in mundo conservari semper eandem motus quantitatem ; voluit Leibnitius vires motrices numquam deficere : Utrumque despiciamus,

92 Hinc effluxisse videtur falsa illa Recentiorum opinio , autuman- tium corpora semel mota , moveri pergere in infinitum.

93 Motum semper fuisse Aristotelis fuit error , in aliquibus saltem corporibus semper futurum , ex revelatis eruitur.

De motus origine.

94 Motus nequit esse essentialis materiae ; prohi Deus quantum hic fremunt Athei!

Omne

XVI

- 95 Omne, quod movetur, ab alio moveatur, oportet.
- 96 Qua propter in moventibus, & motis procedi nequit in infinitum. Spinosa reiicitur.
- 97 Etsi rerum omnium, quae in mundo observantur, prima origo Deo asserenda, innegabile tamen est, a particularibus causis immediate motum produci.
- 98 Non satis constant assignatae a Newtono Li. 1. prin. motus leges, quarum 1. est; corpus omne perseverat in suo statu quiescendi, vel movendi uniformiter in directum, nisi quatenus a viribus impressis cogitur, statum illum mutare.
- 99 2. Mutatio motus vi motrici impressae est proportionalis; & fit secundum lineam rectam, qua vis illa imprimitur.
- 100 3. Actioni contraria semper, & aequalis est reactio.
- 101 His legibus, quo sensu admitti nequeunt, reiectis, veras motus leges dabimus.

De motu locali.

- 102 Localiter moveri, dicitur corpus, quod mutat locum.
- 103 Ad motum localem tria concurrunt, vis motrix, seu impetus, alternatio loci, & determinatio mobilis ad hunc potius locum, quam ad alium.
- 104 Vis motrix concipienda est, ut aliquid reale corpus afficiens, a motu actuali penitus distinctum.
- 105 Motus localis alius est rectus, alius circularis, alius mixtus. Lapsus fuit Cartesius motum omnem natura sua rectum ponens: simili etiam errore tenentur Newtoniani.
- 106 Motus praeterea vel est simplex, vel compositus; hic a duplici vi, ille ab unica producitur.
- 107 Si a viribus aequalibus e diametro oppositis corpus urgeatur, nusquam motus producet.
- 108 Si ad angulum iunctae vires corpus sollicitent, motus compositus describetur per diagonalem parallelogrammi.
- 109 In hoc tamen motu, licet duplici vi componenti equivalenceat, non tamen eadem servabitur celeritas.
- 110 Proiecta corpora moventur impetu, illis a proiiciente impresso.
- 111 Continuatio motus proiectorum neque ab inertia, neque ab aëre, sed ab ea vi repetenda, a qua motus.
- 112 Motus elasticus vocatur ille, per quem corpus a suo statu dimotum, ad ipsum redire pergit; vis quae id operatur, elastica dicitur. Tripliciter exercetur.
- 113 Vis elastica aëris intrinseca, & innata; aliorum vero corporum elasticitas ab aëre provenit; plurimum iuvante pororum dispositione, partiumque rigiditate.

Re-

XVII

114 Resilire corpora dicuntur , cum mutuo congre-
dientia a direc-
tione cuilibet propria deficiunt ; hinc oritur motus reflexus.

115 In corporum reflexione nedum mutatur directio motus , sed no-
vus producitur ; quidquid Cartesius opinetur.

116 Vera reflexi motus causa ab elaterio vel utriusque , vel alteru-
trius corporum collidentium provenit.

117 Si corpori cadenti perpendiculariter , reflecti , contingat , re-
silitio fiet per eandem lineam ad angulos rectos.

118 Si vero oblique incidat , reflexionis angulus aequalis erit in-
cidentiae angulo in corporibus perfecte elasticis.

119 Leges collisionis corporum nullius certè utilitatis , quoniam vel
respiciunt corpora omni elasticitate destituta , vel perfecte dura , qualia
fortasse nulla existunt in rerum natura. Verbis utimur P. Iacquier Phy.
s. 2. p. 1. c. 1. a. 4.

120 Observando motum lampadis , in Ecclesia Maiori Florentina ca-
su agitatae , primus omnium dicitur Galileus animadvertisse oscillatio-
nes pendulorum ; est pendulum corpus grave , filo cohibitum , ne de-
cidat.

121 Vibrationes pendulorum oriuntur a gravitate ipsorum , impedi-
ta per filum , cui suspenduntur.

122 Quo pendula e longiori filo pendent , eo plures vibrationes
producent.

123 In machina Pneumatica , extracto crassiori aëre penduli diu-
tius suas vibrationes continuant.

124 Penduli eiusdem vibrationes , etsi aliae aliis maiores , isochro-
nae tamen sunt omnes.

125 Eodem fere , ac in pendulis modo , explicantur vibrationes illae,
quae in chorda arcus , in bilance aequalibus affecta ponderibus , caet.
cernuntur.

De Mechanica.

126 Machinarum ope ingentia pondera elevari , transferri , motus-
que corporum mirum quantum iuvare valet : est autem Machina instru-
mentum , quo mediante , pondus minori vi , vel tempore potest moveri.

127 In eo sita est Mechanica , ut habita ratione ponderis movendi,
aut detinendi adhibeatur proportionalis vis ad id praestandum ; apposi-
taeque machinae usurpentur ad supplendum , quod deest naturali virtuti.

128 Machinarum duplex genus ; aliae simplices , quae octo nume-
rantur : Vectis , Libra , Axis in Peritrochio , Trochlea , Cochlea , Pla-
num inclinatum , Cuneus , & Rotae dentatae ; compositae vero ex sim-
plicibus coalescunt. Cuiuslibet explicationem , & usum dabimus.

129 Pondera aequalia in aequalibus distantis a fulcro aequipon-
derant.

130 Inaequalium ponderum , aequaliter a fulcro distantium , maius
praeponderat minori.

E

Ita

XVIII

- 131 Ita se habet pondus ad pondus , si pondera sint inaequalia , ut distantia ad distantiam.
- 132 Si eidem inflexili virgae duo appendantur pondera , obtinebunt celeritates in ratione directa distantiarum a centro motus.
- 133 In vecte heterodromo pondus manet cum potentia in aequilibrio, quoties distantiae utriusque ab hipomoclio sunt reciprocae.
- 134 Machinarum vires aestimari debent ex centro motus , & gravitatis.

De quiete.

- 135 Perlustratis quae ad motum spectant , pauca nunc de quiete. Quies est tantum privatio motus.
- 136 Quietem absolutam reperiri in corporibus nulli dubitamus.

PHYSICA PARTICULARIS.

Physicae particularis obiectum haberi potest Mundus hic adspectabilis , in quo res omnes , de quibus illa Philosophiae pars , divisim cernuntur.

2 Est Mundus compages ex coelo , terraque coagmentata , atque ex iis naturis , quae intra eam continentur ; in Archetypum & Exemplatum, hic rursus in Spiritualem , Corporeum , & Abbreviatum partitur.

3 Mundum existere , ni Egoista , nemo in dubium revocare quit.

4 Praecedenti longe intolerabilior error Benedicti , potius Maledicti , Spinosae , & Tollandi , qui , quod abhorret humanas aures , Mundum dixerunt Deum.

5 Non ex fortuito atomorum concursu ille erupit , neque ex praecedenti aliqua materia conditus , sed e nihilo a Deo liberrima sua voluntate creatus.

6 Ea anni tempestate Mundum probabilius conditum censemus , in qua tellus germinationi aptior , scilicet verno tempore.

7 Unicus dumtaxat est , qui existit Mundus ; plures dari posse , solus Cartesius diffitebitur.

8 Perfecta res Mundus ; at non ita numeris omnibus absolutus , ut possibilium optimum cum Leibnitio sentiamus.

9 Quidquid plerisque Recentiorum placeat , Mundum infinitum admittere nequimus ; eius figura probabilius sphaerica ; magnitudo vero certo haud valet definiri.

10 Mundus hic perversitatis , & corruptionis scena purgabitur inducto divinitus igne ; verum ad haec caligat humana ratio ; utut physice contentur explicare Philosophi.

11 Post terrarum Orbis conflagrationem renovabitur tandem : renovationem hanc suis pigmentis ita decoloravit Thomas Burnetius , ut cre-

de-

XIX

deres aureum saeculum , Saturniaque Regna potius adumbrasse ; fabellam referemus , & refutabimus.

12 Nulla deinceps saeculorum continget revolutio , quibus certo fine concludissis , universa semper in eundem ordinem , eandemque speciem redeant.

De Mundi Systematibus , & Sphaera Armillari.

13 Systema Mundi nil est aliud , quam varia dispositio , & coordinatio praecipuarum ipsius partium. Triplex Ptolemaicum , Tichonicum , & Copernicanum examinabimus.

14 In omni systemate reddi debet ratio motus corporum coelestium , haud minimum praeiudicatis Physica , & Astronomia.

15 Ad plenam systematum intelligentiam exponemus quid est Planetarum orbita , quando haec concentrica , aut excentrica , quid perihelium , aphelium , linea apsidum , apogaeum , perigaeum , anomalia , directio , statio , retrogradatio , coniunctio , oppositio , synodus , tempus periodicum , caet.

16 Claudius Ptolomeus , a quo Ptolemaicum systema nomen obtinuit , in Mundi centro tellurem collocavit , alia ordine a nobis assignando disposuit. Hoc systema nec Physicae , nec Astronomiae conciliari valet.

17 Nicolaus Copernicus veluti ex oblivionis cineribus suscitavit , proprioque Marte illustrem reddidit Antiquorum quorundam opinionem , qua Terram instar Planetae moveri , Solem vero in centro quiescere , ponebant.

18 Systema Copernicanum ut thesis nullo modo haberi valet , seu non est demonstratum , Terram circa Solem quiescentem agitari.

19 Tamquam hypothesis quit usurpari hoc systema ; non ita quod ex ea sufficienter probentur effectus coelestes , sed eo sensu , quod huius positioni iam factae non contrarientur.

20 Copernicana Mundi hypothesis nil ex se habet , quod cum Physica , & Astronomia componi nequeat.

21 Praecedens utrumque systema Tichoni displicuit ; novam Planetarum theoriam fuit molitus , referemus , verum neque haec hypothesis Physicae , & Astronomiae legibus congruit.

22 Coelestium motuum investigatio plurimum pendet ab artificiali sphaera , quam Armillarem dicimus ; haec solidum est una superficie contentum , caet. axis , poli , circuli maiores , minoresque in ea distinguuntur , haec omnia , & alia huc spectantia cumulate dabimus.

De Coelo.

23 Coelum , altera ex eius partibus , naturam sortitur non solidam , sed fluidam , si astronomicis observationibus standum.

Si

24 Si nomine corruptibilitatis novae substantiae generationem designemus, nullam in coelis admittimus.

25 Totum coeleste spatium in duas partes divisum ab Astronomis concipitur, aliud enim planetarium, in quo Planetae, aliud stelliferum, in quo fixae revolvuntur.

De Stellis fixis.

26 Quae nobis sunt conspicua, in coelesti regione posita, corpora ad duplicem spectant ordinem; alia Fixa, perennem in suo situ, & cursu aequabilitatem invicem tenentia; alia errantia, seu Planetae, quorum non semper eadem via constat.

27 E quorundam siderum positione infra alia, haec nobis occultantur, hinc opaca esse colligimus, & si placet, densa.

28 Fixarum numerus certe infinitus non est, qua praecipue nota claudatur, penitus incompertum; viginti duas supra mille notarunt Astronomi, in quadraginta octo constellationes, sic vocant centum stellarum plexum, partitas.

29 Quasi totidem Soli similia corpora Fixas habemus, nam propria eis est lux illa, qua fulgere conspiciuntur.

30 Etsi nobis exiguae admodum Fixae adpareant, stupendae tamen molis esse coniectari licet; varietate tanta ipsarum magnitudinem Astronomi definiunt, ut non mensurae, sed ariolationes potius Plinio lib. 23. visae fuerint.

31 Galaxia, seu circulus ille lacteus identidem nobis conspicuus, nihil est aliud ni stellarum congeries, non in suprema aëris, sed in regione Fixarum existens.

De Planetis.

32 Planetas dividimus in primarios, qui nudo oculo, & secundarios, qui ope telescopii discernuntur; illi septem, hi novem numerantur.

33 Lucem illam, qua oculos nostros percellunt Planetae, a Sole mutuo acceptam censemus.

34 Planetularum anilis fabula nec Philosopho, nec viro catholico digna.

35 Constat Planetas alios aliis esse superiores, diversaeque inter se magnitudinis, in qua determinanda quot Astronomi, tot sententiae.

36 Saturnus Planetarum remotissimus a Galilaeo observatus fuit primo habere quaedam brachia, seu ansas; quae magis explicatae ipsum in modum anuli cingerent.

37 Joannes Carolus Gallet S. Simphoriani Avenione Praepositus putavit circulum illum esse lumen ipsum Solis e Saturno regrediens, Hugenius, & alii aereum esse corpus, illius sententia displicet.

38 Iupiter faciem exhibet umbrosis lineis intersectam tum in medio
sui

sui nigricantem maculam ; in hoc quatuor , in praecedenti quinque minores stellulas , seu satellites notarunt Astronomi ; at de his , & aliis tribus Marte , Mercurio , & Venere , quae dicenda occurrunt , in Palaestra.

39 Sol luminis fons naturam sortitur igneam , igni nostro perquam similem ; hinc Swindenio visum sedem Inferni in Sole collocare , verum ibi non est quaerenda.

40 Helioscopii auxilio in Sole distinguuntur maculae quaedam ; mirum quanta circa harum naturam inter Astronomos dissensio , nobis , si vera ii narrant , videtur maculas illas a Sole originem trahere.

41 Faculae quaedam in Sole etiam observantur , de quarum origine , & lumine illo zodiacali a Cassino seniore primum , tum ab aliis Astronomis agnito , dicemus interrogati.

42 Deliquium , seu Ecclipsim Sol patitur , cum liberam lucis traiectionem in Terram interposita Luna impedit ; hinc habes Ecclipsis causam.

43 Non ubicumque Luna reperiatur , Ecclipsim caussat , sed dum est in nodis , aut prope illos ; unde Ecclipsis , quae Christo Domino moriente contigit , praeternaturalis fuit.

44 Luna ex Planetis Telluri vicinior corpus est opacum penes totum , a Sole lucem mutuatur , uti eius phases commonstrant.

45 Duo in Luna macularum genera observantur , grandiores aliae , & perennes , aliae vero minutiores , extemporaneae , & fugaces ; hae ab umbra prominentiorum partium in depressiores proiecta , illae a rarioribus , minusque lumen reflectere valentibus oriuntur.

46 Sensibili atmosphaera Lunam circumambiri conatus fuit demonstrare Wolfius ; verum infelici eventu.

47 Quemadmodum Sol , ita e Telluris interpositione Ecclipsim Luna patitur , cum in huius umbra incurrit ; rem aperiemus.

48 Utut influxum Lunae , Solis , corporumque coelestium in haec inferiora agnoscamus ; non eo usque tamen desipimus , quod ad hominum voluntates extendamus.

49 Eventus futuros e corporibus coelestibus necessario provenientes Astrologi certo praedicere queunt ; nusquam vero infallibiliter , contingentes , aut liberos voluntatis.

50 Planetas moveri nihil notius , certis legibus eorum motum dirigi Astronomis commune ; quaenam vero sit impellens causa ? quantum Aedepol pugnans ii , qui SS. PP. dimissis rem proprio Marte enodare aggrediuntur.

51 Cartesius magnum vorticem mentitur sidera cuncta agitantem , verum inepta causa ad leges , a Planetis in suis motibus servatas , explicandas.

52 Keplerus species quasdam immateriatas fuit commentus egredi a Sole in centro Planetarum collocato , & ab illis more vectis sidera prehensa circumferri ; multa heic occurrunt castigatione digna.

53 Isaaccus Newtonus , cuius in reseranda natura labor indefessus,

suum de universali attractione systema praecipue intulit, ut quoquo modo physicam motricem Planetarum causam rimaretur; caeterum haud pro votis res cessit.

54 Quousque ergo vapulabunt Peripatetici ab iis, qui nihil melius ipsis ad explicandas Planetarum vias promere queunt. O mores hominum!

De Chronologia.

55 Fecit Deus luminaria Coeli, ut dividant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos; hinc ex illorum motu metimur tempora ope Chronologiae, cuius, & Arithmeticae elementa e Christiani Wolfii placitis hausta, dabimus; adiectis insuper, quae in hanc rem elucubravit Hermannus Christianopolus.

De Cometis.

56 Cometarum nomine ea corpora in sublimi apparentia intelligimus, quae Planetarum motus aemulari videntur; ut plurimum cum cauda, crine, aut barba conspiciuntur, aliquando etiam visi fuere Cometae rotundi, lucidique nuclei tantum.

57 Cometarum natura, quantum ex observationibus eruere licuit, non una, eademque; nam alii Lunae eclipsim inducere, alii nulla sensibili parallaxi affici, observati fuere, hinc in sublunares, & supra-lunares eos partiri valemus.

58 E terraqueis halitibus infralunares originem trahunt, Cometae vero supra lunam degentes, Planetae sunt Mundo congeniti, qui sua periodo revolvuntur.

De Sphaera Elementari.

59 Spatium illud, quod Luna sua orbita complectitur, sphaera elementaris appellatur, quia in eo continentur elementa, e quibus res materiales, ibi existentes, originem ducunt.

60 Quatuor elementa Ignis, Terra, Aër, Aqua ita, attenda specifica ipsorum gravitate, sunt disposita, ut Terra infimum locum occupet, dein Aqua, post Aër, tandem Ignis, non hic materialis, ut imperite Peripateticis obiicitur, sed quem propter consuetudinem vocamus ignem, non est autem ignis, excessus enim calidi, & veluti fervor, est ignis, ait Aristot. lib. 1. Meteo.

61 Expositis legibus Hidrostaticae, quae explicat rationem gravitationis fluidorum, sustinebimus Terram, Aquam, & Aërem suis locis constituta gravitare.

62 Ignis est specialis quaedam materia subtilis, solida, summe mobilis, & elastica, per omne spatium, & corpus diffusa, ab ignito corpore diversa.

63 Si de Igne sermo instituatur, quatenus elementum est, & corpus

pus

pus a caeteris distinctum, gravitate donari opinamur, an vero haec experimentis innotuerit? Recentioribus placet, displicet Boerhavius, cui manus damus.

64 Ignis electricus est ille, qui in corporibus electricis observatur; corpora dicuntur electrica cum attritu calefacta alia leviora attrahunt, vel repellunt, scintillant, lenemque auram adversus vicinam manum emittunt.

65 Corpora vel natura sua sunt electrica, vel per communicationem; electricitatis causam, variaque ipsius phaenomena exponemus.

66 Aër est fluidissima quaedam materia, Tellurem circumquaque ambiens, eaque spatia replens, quae ab aliis corporibus relinquuntur.

67 Quamplurimis innotescit experimentis Aëris gravitas, quoniam pacto pondus massae aëreae, atmosphaeraeque altitudo eruatur, roganti dabimus.

68 Pressioni exteriori Aëris plerique tribuunt ascensum liquorum in tubis capillaribus; alii fluidi viscositati, adhaesionique ad tubi latera; alii tuborum attractioni, coeterum nulla ex praedictis est vera causa, cui liquorum elevatio in his tubis tribuenda.

69 De Aqua, eiusque adfectionibus, & glacie artificiali, & naturali, huiusque causa, in Palaestra, ubi ex Muschenbroekii opinione glaciei phaenomena exponemus.

De Terra, Mari, Fontiumque origine.

70 Terra, viventium communis mater, est corpus grave, aridum, fixum, nec solubile, nec liquabile.

71 Tellurem sensibiliter sphaericam nemo Philosophus dubitabit; hinc antipodum existentia, si quando anceps, nunc ubique agnita.

72 Sphaeriodale corpus, instar caepae configuratum, esse Tellurem, observationibus captis, comperere Astronomi iussu, & sumptibus Ludovici XV. Galliarum Regis in oppositas hinc, inde plagas progressi; si vera illi narrant, nulli dubitamus.

73 Montibus plerisque ab initio temporis Tellurem fuisse onustam, gravissimae coniecturae suadent; fabulis ergo, temerariisque assertionibus Burneti, Wisthoni, aliorumque circa montium originem opiniones.

74 Plerique sunt montes in quorum visceribus conchilia, pisces, ostreae, aliaeque marinae exuviae excavantur; item insecta plurima, volatilia, fructus autumnales, & verni, aliaeque vegetabilia, a diluvianis, ut remur, aquis ibidem cooperta.

75 E nitro, sulphure, bitumine, aliisque inflammabilibus particulis, in Telluris penetralibus, concepto igne, prodeunt metuendae eruptiones montium ignivomorum, illaeque succutiones, quibus terram tremere, formidamus.

76 Vastissima illa aquarum copia, iussu Dei in locum unum congregata, Mare dicitur; huius adfectiones salsedo, amarulentia, & aestus.

77 A salinis, bituminosis, sulphureisque particulis, marinis aquis immixtis, ducimus salsedinem, amarulentiamque maris; perdita opera pluries tentatum, marinam aquam purgare, dulcem, & hominum saluti innocuam reddere: fortasse dies diem docebit.

78 Fluxum aquarum versus littora, hincque recessum marinum dicimus aestum, huius phaenomena diurna, menstrua, annua; singula referemus.

79 Marini aestus phaenomena a Lunae motibus ut plurimum pendere, docent observationes, quonam modo, ignoramus; id unum tamen mirabiles elationes maris ab attractione Newtoni repeti non posse.

80 Originem Fontium, Fluminumque omnium a deciduis pluviis, solutisque nivibus ducendam, in his calculis, rentur passim Recentiores; nos vero etsi forte fontibus omnibus aquam pluviam sufficientem supponamus, nihil tamen moratur, quominus quorundam scaturiginem Mare assignemus.

De Meteoris.

81 Phaenomena in sublimibus regionibus apparentia, Meteora vocamus; haec sunt in quadruplici differentia, nempe Aquea, Ignea, Emphatica, & Spirantia.

82 Meteororum materia sunt halitus, qui e globo terraqueo emanantes, diversimode pro varietate tempestatum anni ascendunt, replentque spatium illud, quod terrestris Atmosphaera nominatur. Quomodo exhalationes, vaporesque per aërem, corpus specificè levius, ascendere queant, exponere, nostrum erit.

83 Sunt Meteora aquea: Nebula, Nubes, Aura serotina, Ros matutinus, Pruina, Pluvia, Nix, & Grando: omnium originem evolvemus.

84 Inter ignea numerantur Fulgur, Tonitru, & Fulmen, Aurora Borealis, Lampas, & alia, quorum genesim explicare satagemus, quemadmodum etiam & duplicis Iridis, Halonis, Parhelii, Paraselene, & Virgarum, quae emphatica habentur.

85 E Meteoris aëreis, seu spirantibus est ventus, qui a sublato aequilibrio, quod penes omnem plagam obtinere debet in aëre, oritur.

De Corporibus viventibus.

86 Ea corpora vivere dicimus, in quibus vita, seu principium quoddam intraneum, vi cuius moventur, seque ad ulteriores actus applicant, reperitur.

87 Radix, & fons operationum omnium vitalium nuncupatur anima, quae, sub nomine primae entelechiaë ab Aristotele agnita, est actus primus corporis physici, & organici.

88 Corpora viventia, iam ab antiquis temporibus partiri solita in vegetativa, sensitiva, & rationalia; hinc triplex erumpit anima.

Quae-

89 Quaelibet vegetativa anima nutritivam , augmentativam , & generativam operationes exercet ; de singulis loquemur.

90 Vegetante anima donantur Plantae. Est planta corpus quodlibet organicum , e terra germinans , ac vitae compos.

91 Cuilibet Plantae semen proprium , unde prosiliat , natura solers plasmavit ; ex materia putrescente nullam generari , opinamur.

92 Plantarum succus nutritius non consistit in sola aqua , sed in solutis salinis , oleosis , terreisque particulis.

De Anima sentiente.

93 Sensitiva nuncupatur Anima principium illud , cuius vi animalia suas vitales operationes exercent.

94 Veram animalium rationem capiunt homo , & brutum. Nullius animalculi , etiamsi villimi originem in putrescente materia collocamus.

95 Principii illius , seu Animae natura , res cimmeriis tenebris obscurior. Quidquid sit de priscorum insomniis , Moderniores varie opinantur. Purissimus sanguinis flos ignitus Gassendo fuit visa : Verum quis adeo desipiat , ut putet , ignem cognitione esse praeditum ?

96 Hispanus Pereira , Methymnensis Medicus , primus fuit , quod sciamus , qui machinas , vel automata , & nihil amplius belluas credidit. Cartesio res novitate placuit , ab utroque supersedemus.

97 Lepidior hac opinio , qua Iesuita Bougeant belluarum cuilibet Doemonem praefecit , qui admissi sceleris inibi poenas lueret , deliram sententiam postmodum Auctor ipse eiuravit.

98 Calmetus , Genuensis , Boviller , & alii brutorum animam minorum gentium spiritum appellant ; Peripatetici indivisibilem , perceptionis capacem , amoris , odii , caeteris passionibus obnoxiam eam ponunt , & tamen materialem volunt. Unusquisque in suo sensu abundet.

De Sensatione , & Sensibus.

99 Sensatio dicitur quaecumque perceptio , quae oritur in anima ex impressione obiecti materialis , & mutatione facta in corpore.

100 Sensus duplex internus , & externus. Experientia compertum est Animae sensationes pendere a motu nervorum , qui in sensuum organa terminantur.

101 Quintuplex sensus externus nempe : Visus , Auditus , Odoratus , Gustus , & Tactus. Visus organum neque humor est crystallinus , neque choroides , sed retina.

102 Quidquid visus organum ita afficit , ut visio in anima sequatur , Lucem adpellamus.

G

Lux

103 Lux consistere videtur in corpusculis, quae, a corpore luminoso profluentia, ab eo veluti a centro diffunduntur celerrimo motu.

104 Lucis radii, & successive, & per rectam lineam propagantur, eorumque densitas decrescit in ratione reciproca duplicata distantiarum a radiante puncto.

105 Reflexio lucis est regressio a superficie corporis, in quam incidit; huius causa physica non e viribus repellentibus, ut Newtonianis arrissit, repetenda, sed ex solida corporum superficie cogente radiorum impactu.

106 Refractio luminis est ea actio, qua ipsius radii e rariori in densius medium, aut e contra transeunt, directione mutata, aliam induunt.

107 Refractionis leges, tam in corporibus, quam in lumine referemus. Refrangibilitatem vocamus dispositionem ad refractionem subeundam.

108 Solis lumen ex radiis diverso modo refrangibilibus componi, observavit Newtonus.

109 Ex radiorum lucis varia refrangibilitate oriuntur septem colores primarii, ex varia aliquorum permixtione colores secundarii.

110 Hi prae aliis cernuntur in corporibus colores, quod radios determinatae refrangibilitatis coeteris copiosius reflectant.

111 Primarium auditus organum in expansis nervi auditorii fibris, nuspiam vero in aëre, quem timpani cavitas continet, constituendum.

112 Auditus objectum est sonus; motus tremulus partium corporis efficit, ut hoc sit sonorum.

113 Per celerrimas aëris oscillationes, & undulationes propagatur sonus.

114 Sonus quilibet aequali pollet velocitate, adeoque spatia a sono percursa sunt temporibus proportionalia.

115 Undae aëris sonore reflectentes post impactum in durum obicem, suo reflexo motu voces ingeminant, quas echo nominamus.

116 Nerveae papillae, quae per membranam, interiores narium anfractus investientem, disseminantur, Olfactus organum constituunt.

117 Odores nihil aliud sunt, quam particulae salino-sulphureae, quae ab odoro corpore avolantes, diffunduntur per aërem, & ad nares perveniunt.

118 Gustus itidem organum residet in nerveis papillis, quae, per linguam diffusae, percipiuntur a salis particulis corporum; unde sapes.

119 Tactus organum sibi vindicant nerveae pariter papillae, quae per rete malpighianum in cuticulam protenduntur.

De Calore, & Frigore.

120 Calor in sensorio efficitur a quibusdam igneis particulis perturbato, celerique motu affectis.

Fri-

121 Frigus nihil est aliud , quam caloris defectus a nitrosis particulis inductus.

DE ETHICA.

1 **E**thica , a verbo graeco ethos dicta , sive latine Moralis scientia , est ea Philosophiae pars , quae in hominum moribus dirigendis tota versatur.

2 Mos hic usurpatur , prout significat inclinationem quamdam naturalem , aut quasi naturalem , ad aliquid agendum.

3 Obiectum materiale Moralis sunt actus humani , formale est moralitas , ratio sub qua , prima principia practica , quorum cognitio habitualis , sinderesis.

De ultimo fine Morum.

4 Actiones illae , quae praefulgente rationis lumine , voluntatisque libero accedente consensu , eliciuntur ab homine , humanae dicuntur ; caeterae hominis.

5 Finis aut est intermedius , ad ulteriorem ordinatus , vel ultimus , quem propter se tantum appetimus , caetera vero propter ipsum.

6 Cum Ang. Praecept. sustinemus , & dari totius humanae vitae finem ultimum , & non posse esse nisi unicum in particulari , & determinata actione.

7 Longe dispari via boni , & perditii homines gradiuntur ad ultimum finem capessendum ; nam qui non est , nec umquam inuenietur , ab his quaeritur.

8 Utinam antiquis illis Philosophiae luminibus fidei lux affulsisset ! fortasse in assignanda ea re , cuius consequutio nos bearet , non ita dissidentes , ut alii honores , alii famam , hic divitias , ille potestatem , alius ventris , corporisque voluptates , languidae instar pecudis , sibi sectandas , & caeteris , proposuerint.

9 Cordatius his omnibus sentientes Stoici in virtute felicitatem hominum reponebant , verum necesse est , viam distingui a termino.

10 Quapropter si vere felices esse cupimus , supra omnia bona creata surrigenda est mens ad sublime illud indeficiensque , Deum scilicet O. M. qui replet in bonis desiderium nostrum.

11 Huic coniuncti recte de ipso sentientes , castoque amore eum diligentes , etiam in hac vita beati erimus.

De Actibus Moralibus.

12 Gressus , quibus ad ultimum finem itur , sunt actus morales , a voluntate sub directione rationis elicti.

Hinc-

XXVIII

13 Hinc omnis actus moralis debet esse voluntarius : voluntarium est, quod ab intrinseco oritur principio cum cognitione finis.

14 Violentia , quam absolutam Iuristae vocant , omnino perimit voluntarium.

15 Ignorantia quoque ei inimica , sed non omnis ; in pugna dicemus.

16 Quae ex metu fit actio , partim est voluntaria , partim involuntaria ; quae vero ex concupiscentia , omnino voluntaria.

17 In actu morali entitatem a moralitate seiungere oportet , illa est actio quaedam vitalis & libera ; haec , omissis aliorum opinionibus , consistit in ordine , quem ratio facit in actibus liberis.

18 Actum bonum vel malum unice moralem dicimus ; ea enim est hominum conditio , & dignitas , ut quoties advertente ratione ad operationem accedunt , iubeantur honestatem amplecti , unde nulla ipsorum actio rectitudinis , aut pravitatis expers.

19 Ergo cum actus aliquis legi aeternae Dei , quae prima est actionum nostrarum regula , rectaeque rationi commensuratur , bonus extabit ; sin minus , pravus.

20 Inde petenda origo boni , & mali moralis , nusquam vero e privatis commodis , populorumve scitis , hominumve opinionibus.

21 Lex ad cuius amussim operationes nostrae eliciendae , definitur ordinatio rationis caet. huius divisiones , conditionesque ex S. Isidoro recensebimus.

De Passionibus.

22 Impetus illi animi nostri , ex appetitu sensitivo pullulantes , passionum nomine designantur. Est passio motus appetitivae virtutis sensibilis ex imaginatione boni , vel mali.

23 Passiones omnes , ceu malas Stoici damnabant ; at si per rationem regulentur , eique obtemperant , cur condemnentur , non invenimus.

24 Passionum duplex classis , aliae partis irascibilis , aliae concupiscibilis : sex numerantur illae : nimirum Amor , & Odium , Desiderium , & Fuga , Gaudium & Dolor : istae vero sunt quinque : Spes , & Desperatio , Audacia , & Metus , & Ira , quae caret contrario.

25 Harum omnium passionum notionem , causas , & effectus non iniucunda oratione dabimus , fideliter referentes , quae de his erudite , concinneque scripsit Cl. Goudin.

De Virtutibus.

26 Virtus , qua in vita nihil obtabilius , dicitur ab Aristotele habitus , qui bonum facit habentem , & eius opus : a M. P. Augustino , bona qualitas mentis , qua recte vivitur , & nemo male utitur.

27 Virtutis duae proprietates , ut scilicet & in medio sit constituta inter duo opposita vitia , & ita firma , ut ea male uti nemo queat.

Sub-

28 Subiectum virtutis moralis triplex asseritur, Intellectus, Voluntas, & Appetitus sensitivus, quatenus in homine rationi coniunctus.

29 Virtutes, quae adultae, imasque radices egerunt, inseparabili vinculo coniunguntur: secus tenerae.

30 Priscorum vestigiis insistentes, virtutem moralem dividimus in Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam, & Fortitudinem, veluti totidem cardines, quibus honesta volvitur vita.

31 Age ergo de singulis non contentiosa, sed placida oratione tractemus. Prudentia, quae principem inter virtutes locum occupat, est virtus rectificans intellectum circa agibilia.

32 Prudentiae actum, ut integer evadat, comitari debent Ratio, Intellectus, Circumspectio, Providentia, Docilitas, Cautio, Memoria, & Solertia, tamquam partes integrantes illum.

33 Virtutes vero illae, quae sub generali ratione Prudentiae continentur, sunt: Prudentia Monastica, Oeconomica, Politica, Militaris, Monarchica, Aristocratica, & Democratica.

34 Eubulia, Synesis, Gnome, veluti partes potentiales Prudentiae famulantur: quidquid de his omnibus Prudentiae partibus integralibus, subiectivis & potentialibus scitu dignum fuerit, narrabimus.

35 Iustitia, Hespero, atque Lucifero admirabilior, virtus est secundum quam constanti, & perpetua voluntate ius suum unicuique tribuimus.

36 Huius assignatur duplex pars integralis, declinare a malo, & facere bonum, triplex subiectiva, scilicet Commutativa, Distributiva, & Legalis, e quibus illa Arithmetica, haec Geometrica, ista vero ex utraque aequalitatem creat temperatam.

37 Numerosus virtutum comitatus adiungitur Iustitiae, cuius veluti partes potentiales haberi queunt Religio, Pietas, Observantia, Veritas, Gratitude, Iustitia vindicativa, Liberalitas, & Amicitia.

38 Quae in publicis Iudiciis exercetur Iustitia, iudicare compellit Iudicem iuxta allegata, & probata, etiam contra privatam scientiam.

39 Temperantia, bonorum omnium ornamentum a Platone nuncupata, definitur, Rationis in libidinem, atque alios non rectos animi impetus, firma, & moderata dominatio.

40 Temperantiae partes integrales Verecundia, & Honestas: Subiectivae Abstinencia, Sobrietas, Castitas, & Pudicitia: potentiales Continentia, Mansuetudo, Modestia, haec insuper in Humilitatem, Studiositatem, Modestiam morum, & cultus, & Eutropeliam partitur; in Lenitatem, & Clementiam Mansuetudo.

41 Fortitudo, quae irascibilem appetitum perficit, dicitur a Cicerone considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio; huic virtuti duo actus assignantur aggredi, & sustinere.

42 Partes quasi integrantes Temperantiam quatuor assignari solent, Magnanimitas, Magnificencia, Patientia, & Perseverantia. Enumeratis

Magnanimi viri characteribus ; cum virtute Humilitatis , cui videntur opponi , conciliabimus omnes.

43 Nedum Evangelicae legi , verum & naturali sui ipsius occisio repugnat ; illeque actus ignaviae potius , aut furoris , quam Fortitudinis habendus.

De Vitio.

44 Vitium virtuti contrarium , & infensum , definiri optime valet , mala qualitas mentis , qua male vivitur ; vel alio modo , dispositio imperfecti ad pessimum.

45 Vitiorum varias divisiones , & actum , nempe peccatum iussi aperiemus.

46 Licet vitia cuncta homini totis viribus fugienda , Atheismus vero , etiam ipsa Idololatria deterior , prae caeteris ; quidquid Baileus opinetur.

De Hominum officiis.

47 Quid quis praestare certo tempore teneatur , cui , & quo pacto officii nomine designamus ; multis homo tenetur officiis , quia multis obstringitur legibus.

48 Si officio proprio omni ex parte satisfactum volumus , sobrie in nosmet , iuste in proximos , & pie in Deum vivamus in hoc saeculo : hinc triplex hominis officium in Deum , seipsum , & proximum.

49 Cui , supremum Numen existere , persuasum , a quo quidquid est , & valet memore colat animo acceptum , pro collatis beneficiis vicem ei rependere , tenetur ; hinc nata Religio.

50 Huius causas assignans Cudworthus cum aliis tres enumerat : Calliditatem scilicet Imperantium , Populorum metum , causarum naturalium ignorantiam ; verum in aperta luce caligavit.

51 Haecine Religio , quae supremo Numini cultum exhibendum docet , ita per Terrarum Orbem diffusa , ut facilius urbs invenietur , inquit Plutarchus , sine moeniis , litteris , rege , aut divitiis , quam quae templis , precibus , sacrificiisque careat.

52 Verum Gentes universae , aliquod Numen adorandum agnoverint ; evanuerunt tamen , in cogitationibus suis , multitudinem inducentes Deorum , qui os habent & non loquentur : hinc Politheismus.

53 Ubi Terrarum Idololatria coeperit , disputent hi , quibus plus otii concessum : id unum persuasum habemus , Religionem , qua unum Deum colimus , antiquissimam omnium , Adamo coevam esse.

54 Igitur unus colendus Deus , nedum cultu interiori , qui spiritum ei subiiciat , verum & externo , nostrum corpus , resque exteriores in ipsius famulatum mancipando.

55 Quid homo sibi debeat , quantum ad animam , & corpus ; quomodo fortunae bonis utendum : Quid vero aliis praestare teneatur in circo.

56 Homo, natura sua animal politicum, cum eiusdem speciei individuis in societatem, quae definiri optime valet, hominum coetus ad promovendum bonum commune: duplex est, dicemus.

57 Ingens hominum multitudo, in societatem coalescens, Respublica nominatur: Huius administrandae ratio Monarchica, Aristocratica, Democratica, Oligarchica, vel mixta esse valet: singulas regiminis formas enodabimus.

58 Laudet quicumque patriam suam, mores, vivendi institutum, nos, primatum sibi vindicare putamus Regimen Monarchicum.

59 Toto conatu Princeps civilem regens societatem, utpote huic infensam, amoliri conetur cuiuslibet falsae Religionis tolerantiam.

60 Humanam Societatem laedunt quam maxime crimina, & bella: illis coercendis sancienda poena ab eo, qui non sine causa gladium portat, ut saltem timore percellantur, qui non ducuntur amore iustitiae.

61 Principis est iura tueri, pacem & tranquillitatem Reipublicae curare, ubi haec violari contigerit, bellum indicere, armaque tractare licebit.

62 Cui audire placeat, enumerabimus officia Principis in Societatem, huius in illum, reciproca Parentes inter, & filios, Sacerdotum, Iudicum, & Privatorum.

DE METHAPHYSICA.

Postremo loco de Methaphysica, sive latine transnaturali, quae primae Philosophiae nomen obtinuit, agendum. Huius obiectum materiale est ens reale, quodcumque illud sit; formale vero, communis ratio entis, ab omni materia abstracti.

2 De Methaphysicae existentia nemo cordatus dubitabit. Ea est vere scientia, & facultas ab aliis distincta.

De ente in communi.

3 Nil ente notius. Ita illud D. Thomas definivit, cuius actus est esse; unde eo modo aliquid est ens quo se habet ad esse; hinc variae entis divisiones in reale, & rationis, creatum, & increatum, aliaeque a nobis assignandae.

4 Principia entis sunt vel generationis, de quibus in Physica, vel compositionis, vel cognitionis, de quibus nunc.

5 Principium cognitionis est, cuius cognitio in alterius cognitionem ducit. Duplex est, complexum, & incomplexum.

6 Pleraque sunt huiusmodi principia, quae, quia omnibus nota, communiter Effata, Dignitates, Axiomata, & in practicis Maximae appellantur.

7 Si vero aliquod horum stolide negari, contigerit, per illud principi-

cipium contradictionis, impossibile est, idem simul esse, & non esse, quod primum admittimus, probandum.

8 Principia Metaphysica entis sunt actus, & potentia; horum notiones, & divisiones enumerabimus.

9 Probamus insuper principium rationis sufficientis, ita ut nil ponendum in mundo, non data ratione sufficiente, cur illud potius sit, quam non sit.

10 Possibilitas dicitur de illo ente, quod in suo conceptu nullam involvit repugnantiam ad existendum, e contra impossibilitas.

11 Impossibilia a Deo fieri nequeunt, ut ut omnipotens supponatur; heic Cartesius caecutit.

12 Essentiam rei vocamus id, quod primum in ea concipitur tamquam aliorum, quae actu in re sunt, prima origo.

13 Rerum essentiae sunt absolute necessariae.

14 Nomine existentiae intelligimus illud, per quod res complete, & ultimate sistitur extra causas.

15 In omni creato ente dicimus, essentiam ab existentia revera distinctam.

16 Perfectio illa, qua natura sustentatur in seipsa, redditurque alteri incommunicabilis, subsistentia nominatur, haec quid est positivum, realiter a natura distinctum.

17 Unitas, veritas, & bonitas sunt entis proprietates. Unum dicitur ens, quod est a quolibet alio divisum; unitas triplex Generica, Specifica, & Individualis.

18 Haec ex Thomistarum sententia oritur a materia quantitatem connotante. In quo sitae sint entis veritas, & bonitas dicemus; & etiam de ordine, & perfectione.

19 Infinitum est, quod nullis clauditur terminis: aliud Categorematicum, aliud Syncategorematicum.

20 Repugnat creatura secundum essentiam actu infinita.

21 Impossibilis est extensio actu infinita; quemadmodum multitudo.

22 Qualitas infinite intensa nequit dari.

De Causis.

23 Nulla Philosopho cura dignior, ac causarum investigatio. Vidimus Recentiores plurimos, qui, ut Canis Nilum, argumentum hoc delibant potius, quam absolvunt. Ad rem igitur, Causae nomen tripliciter usurpari valet; dicemus.

24 Causa est, ad quam sequitur esse alterius; haec notioq; illustrior fiet ex effectu, ad quem relationem dicit.

25 Causarum quatuor genera. Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis.

26 Omnis causa prior est suo effectu, saltem prioritate naturae.

Causa

XXXIII

- 27 Causa efficiens principalis vel est suo effectu nobilior, vel aequae nobilis.
- 28 Quomodo capiendum axioma illud, causae sibi invicem sunt causae, aperiemus.
- 29 Principium illud, a quo rei profluit productio, est causa efficiens. Haec multiplex, enumerabimus.
- 30 Ratio principii activi convenit substantiis corporeis; illique effectus, qui cernuntur in mundo, sunt verae earum effectiones.
- 31 Utraque vis activa immanens, & transiens locum habet in substantia corporea.
- 32 Principium quo radicale agendi in corporea substantia est ipsius forma substantialis. Accidentia vero sunt virtutes secundariae.
- 33 In efficiente causa duo distinguuntur, actus primus, seu virtus causandi, & actus secundus, seu actualis causatio; haec per actionem intelligitur.
- 34 Productio rei cuiusdam minus principalis ad productionem alterius praecipuae ex naturali cum ea conexione, dimanatio, sive resultantia appellatur. Res sensibili exemplo illustrabitur.
- 35 Quod in re politica saepissime evenit, id ipsum in causis contingit pluries, quaedam enim causa nonnumquam utitur alia; haec instrumentalis vocatur.
- 36 Est causa instrumentalis, quae agit in virtute alterius, quod triplici exponemus modo.
- 37 De ratione instrumenti est, moveri a causa principali.
- 38 Praeter vim activam, a causa principali instrumento communicatam, aliam ex se praehabere debet, qua illi cooperetur.
- 39 Itaque in effectu, per instrumentum producto, huic veluti principi causae aliquid respondet.
- 40 Causa finalis est, cuius gratia aliquid fit: haec est vera, & realis causa.
- 41 Huius causam solum bonum constituit, nusquam vero malum, nisi boni ratione inducta; ita ut sola bonitas finis sit tota causandi forma.
- 42 Id vero, per quod in actu secundo in ratione causae finis constituitur, est amor, seu desiderium sui, voluntati inspiratum.
- 43 Hinc est, quod agentia dumtaxat ratione praedita propter finem operentur.
- 44 Agentia naturalia passive, seu executive in finem dirigi pereleganter ostendit Goudinus. De causis Materiali, & Formali in Physica egimus.
- 45 A duplici causa totali, eiusdemque ordinis, eundem effectum implicat produci.
- 46 Nec idem effectus, qui ab hac, potuit ab alia causa prodigi.
- 47 Fortuna & casus, non vana quaedam Numina habenda, ut

coeca superstitio putavit, sed caussae, per accidens efficientes, ex quibus effectus praeter intentionem sequitur; in quibus tamen differant, dicemus.

48 Praeter Deum, homines, & Angelos fortunae, & casui obnoxios, reputamus.

49 Longe abhorremus a Fato, quod sensu Gentium ineluctabilem necessitatem rebus imponat. Legitime explicatum fatum admittimus.

De Dei existentia.

50 Deum illum ter O. M. impiorum cervicibus intolerabile Numen existere, ipsa ratio naturalis clamat ubique.

51 At extitit impiorum caterva, Deum coelo pellere molientium, qui Religionem, qua ipsum sanctissime colimus, hominum animis deletere facto agmine tentavere. Caeterum adversatur Religio pravis hominum cupiditatibus; debuit ergo, debetque a nequam hominibus impugnari; hinc praecipua nostra cura in huius necessitate, & existentia demonstranda

52 Hos impiissimos nebulones veluti gens conductitia, utinam imis visceribus contrita! sequuntur, qui prae pudore nomen patefacere non ausi pestiferis liberculis Epistolarum, Speciminum, Cogitationum, Examinum, aliisque, quibus tota Europa corrumpitur, naturalis rationis iura plus aequo extendentes, revelationem omnem de medio tollunt: verum necessaria est Divina Revelatio, nedum quoad veritates, supra naturam positas, sed & quantum ad illas, quae viribus intellectus detegi possunt.

53 Quidam dein pessime feriati homines in secta qualibet, etiamsi opposita dogmata tueantur, salutem consequi posse, sibi conantur suadere. Coeci! Coecorumque duces.

54 Una est Religio Christi, in qua tantum assequibilis salus; absit Indifferentismus.

55 Errore haud ferendo posuit Machiavellus, eo usque Religione utendum esse, quousque Reipublicae bono interesse, dignoscatur.

De attributis Dei.

56 Aut Deus non est, aut unus est tantum.

57 Non est Deus quasi homo, ut mutetur.

58 Potentia eius metam non agnoscit.

59 Ipsius Providentia ad minima quaeque extenditur.

60 Novissima, & antiqua ille fecit, cunctaque creavit.

61 Nisi potenti ipsius manu omnia conservarentur, in pristinum nihilum iterum redirent.

62 Causarum nulla produceret suum effectum absque influxu Di-

vino : & nedum ille vires activas creaturae contulit , verum & ad operationem applicat.

63 Physica , & praevia est illa motio , qua Deus tum liberas , tum naturales causas ad agendum excitat , nec ideo concursum simultaneum , rite explicatum , motionemque moralem repudiamus.

64 Quonam pacto Deus concurrens ad actionem peccati , nec inde maculetur , nec humana laedatur libertas , nostrum erit adperire.

De creatis Spiritibus.

65 Firmissime tenemus Deum ab initio temporis utramque creaturam de nihilo produxisse Angelicam , & humanam.

66 De numero , ordine , nominibus , locutione , caeteris , quae ad Angelos spectant , Theologis dimmittimus. Ne ultra crepidam.

De animae hominis origine.

67 Existere in homine principium aliquod , vi cuius iudicet , ratiocinetur , velit , nolit , caet. in dubium verti nequit ; principium illud animam appellamus.

68 Huius origo a Deo , a quo post creationem foetus corpusculo infunditur.

69 A corpore in corpus multo tempore ante creatas , animas migrare , fuit stulta Pithagoraeorum opinio.

70 Divinae substantiae particula Stoicorum sententia fuit anima ; placuit ita Spinozae , qui non placeret error ?

71 Ab anima patris portionem decissam , filioque per generationem communicatam , Traduciani derivarunt humanam mentem ; verum haec est impartibilis.

De spiritualitate humanae mentis.

72 Pro aris , & focis tuebimur humanae mentis spiritualitatem : ubinam sunt spiritus illi fortes ? ineant nobiscum singulare certamen.

73 Putavit Helvetius in libro de Spiritu , seu potius de materia , quaestionem hanc de animae spiritualitate nullius esse momenti. Quid tibi videtur Simon ? Deum infundere poenales coecitates super illicitas cupiditates.

74 Lockii opinionem de materia cogitante ad sidera usque evehit Voltaerus , probat , & amplectitur , conaturque demonstrare ; sed nisu irritato.

75 Principium cogitans indivisibile esse debet , & inextensum , nec ab omnipotenti Dei virtute materia fieri valet cogitationis capax.

76 Quapropter , non quia opus fuit Ecclesiae praecepto ad spiritualitatem hominis animae vindicandam , hanc propugnamus , ut in eodem libro effutit Helvetius , sed quia naturali ratione docemur.

De

De eiusdem immortalitate.

77 Immortalitas est duratio perpetua viventis in suo statu ; duplex est , intrinseca , & extrinseca.

78 Humana anima in se , creaturis , aut Deo corruptionis nullum principium agnoscit ; ergo est immortalis.

79 Dom. a Sancto Evremontio , Montanea , Voltaerus , & quotquot e Libertinis veritatem hanc per ipsis quam ingratham irrident , eandem non a naturali ratione , sed e Religione , si quae iuxta illos est , petendam praedicant. Vae vobis sepulchra dealbata !

De potentiis animae.

80 Praecipua mentis dos est intellectus , seu facultas illa veritatis perceptiva : hinc habes eius obiectum ; quomodo dicatur intellectus percipere per abstractionem a materia , explicabimus.

81 De intellectus divisione , de praestanti illa vi quorundam supra alios ad intelligendum , deque hominum ingenio , nos interroga.

82 Ea facultas , qua proposita ab intellectu obiecta prosequimur , aut aspernamur , voluntas dicitur ; mentis praefulgente lumine indiget , ergo est coeca potentia.

83 Huius velle aut nolle , ad quod absque motivo non procedit ; proposito indifferentiae statu voluntas otatur. De bono , quod ipsius est obiectum alibi.

84 Sex actus ex parte intellectus , dirigentes totidem ex parte voluntatis ad negotium particulare , quod non praecipiti festinatione , sed prudenter procuratur , enumerabimus ; omnium adiecta explicatione , & infibulatione.

De Libertate.

85 Libertatis quamplurimae sunt acceptiones , de his in Palaestra.

86 Libertas arbitrii , propria voluntatis dos , est vis electiva mediorum servato ordine finis.

87 Homo , positus in manu consilii sui , necesse est , quod sit liberi arbitrii ex hoc ipso quod rationalis est.

88 Aliquam indifferentiam esse de ratione libertatis , iam pene omnes adversus Cornelium Iansenium tuentur , qui dumtaxat lumen , directionemque rationis exposcebat.

89 Ast quaenam ex multiplici illa acceptione indifferentiae ? Dicam. Ad arbitrii libertatem requiritur indifferentia tum obiectiva , tum subiectiva.

90 Indifferentia moralis potius est de imperfectione libertatis.

91 Indifferentia contrarietatis non est necessaria libertati , sed solum contradictionis.

XXXVII

92 Verum , perfectumque dominium supra nostros actus ad libertatem requiritur , necessitas ei capitaliter repugnat.

93 Effutire nostrae voluntatis actus necessarias consequutiones esse impressionum a rebus , quibus circumducimur , acceptarum , mos est proprius Fatalistarum Hobbesii , Collinsii , aliorumque Heroum nostri saeculi ad eminentiam philosophici.

94 Praelucente Scholarum Sole libertatis radices causasque dabimus sermone non iniucundo , etiam ambrosia , nectareque pastis.

95 De memoria tandem disseremus , cuius physicam causam ex fibrillarum cerebri flexibilitate ducimus.

De anima pro utroque statu coniunctionis & separationis.

96 Animam uniri corpori , veluti ipsius formam , cum illo constituentem totum substantiale , quod hominem appellamus , res meo iudicio clara , & aperta videtur.

97 Atqui obscurum valde illud vinculum , quod dissitas adeo , disparesque substantias materiam , & Spiritum tam arcto copulet foedere.

98 Unio illa utriusque substantiae , quae commercii nomine exponi solet , nihil est aliud , nisi quaedam lex a naturae auctore stabilita , qua fit , ut positis quibusdam in corpore motionibus , respondeant in anima quaedam perceptiones , & vicissim.

99 Systema caussarum occasionalium a Cartesio inventum , ab Malebranchio dein illustratum , nec Philosopho dignum est , nec Christianae Theologiae consentit.

100 Praestabilitae harmoniae hypothesis , per iocum a Leibnitio cussa , a plerisque postmodum serio admissa , latam aperit viam pluribus in Fide , & Physica erroribus.

101 Influxus physici opinio caeteris commodius iunctionem explicat mentis , & corporis , & inter cordatiores Philosophos hodieum obtinet.

102 Cessante hoc influxu compages illa solvitur , mors homini accidit , anima seiungitur , & ubicumque reperiatur , retinet intellectum , & voluntatem , potentias vero sensitivas solum radicaliter.

103 Per separationem anima non amittit species cognitionum , quas habuit in hac vita.

De creatione , & miraculis.

104 De viribus Spr. creati quantum scilicet naturaliter valeant , in antecessum egimus , quid ipsis denegatum examinemus.

105 Creatio est productio rei ex nihilo , seu ex nullo praesupposito subiecto.

106 Creatio tempus , aut successionem non admittit , actio est instantanea.

XXXVIII.

107 In consortium Dei, omnium Creatoris, advocari nequit creaturarum aliqua, etsi ministerialiter tantum.

108 Lockii & Clarckii circa naturam miraculi, haud genuinis, definitionibus omissis; nobis est miraculum, sensibilis effectus, qui actione Dei immediata producitur independenter a caussis secundis.

109 Effectus sensibilis, & naturalis nomine intelligimus illum, qui iuxta naturae ordinem, & cursum constanter, uniformiterque sequitur ex sola corporum actione.

110 Inter miraculum, effectumque sensibilem magnum interest discrimen, non e substantia, sed ex modo, quo utrumque opus fit, petendum.

111 Larvatus ille Iudaeus, de Spinoza loquor, miraculi possibilitatem negavit, quia Deus, aiebat, est immutabilis. At quam stulte!

112 Quod offendiculum declinare cupiens Abbas Houttevillius, miraculum esse dixit, effectum quarundam legum generalium, nobis ignotarum, quas ab initio Deus statuisset: Houttevillii zelum laudamus, systema minime probamus.

113 Miraculum duplex proprium, & improprium, ad illud sequitur potestas agendi independenter a caussis secundis, quae de se infinita est.

114 Hinc neque Angelis concessum vere, & propriae dicta miracula edere.

115 Solus Deus est miraculi auctor, ille est, qui facit mirabilia magna solus.

116 Characteres numerabimus, quibus genuina a spuriis miraculis seponantur, inde liquebit, quo in praetio habenda pleraque ex miraculis, quae ceu vera passim obtruduntur.

117 Apollonii Thianei miracula, a Philostrato in eius vita narrata prae odio in Servatorem conficta censemus: Abbatem Pradesium miserime deceptum, putavisse, veri nominis miracula fuisse, quae de Vespasiano narrat Suetonius, iugemus.

En Theses nostras ad umbilicum perductas, quidquid in eis pingui, aut invita minerva offenderis, carpe, & dele si placet, memento tamen illius Persii sat. 5.

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Joseph Episcopus Orcel.

Vt. Iosephus Manuel Balaguer, Vt. D. D. Salvator Puche,

Cens. Reg. Stud. Reg. & Rector.

Imprimantur,

Pareja.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several paragraphs.

... episcopus ...

... in ...

...

...